

---

# **Quaestiones Plutarcheae 2 (Latin Edition)**

**Häbler Karl Albion**

---

**Title: Quaestiones Plutarcheae 2 (Latin Edition)**

**Author: Häbler Karl Albion**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**





*Ad*

o 13

**QUAESTIONES  
PLUTARCHEAE DUA E.**

- I. DE AUCTORE LIBRI, QUI INSCRIBITUR  
*ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΗΡΩΔΟΤΟΥ ΚΑΚΟΗΘΕΙΑΣ.*  
II. DE PLUTARCHI FONTIBUS IN VITIS  
THEMISTOCLIS ET ARISTIDIS.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

**SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM**

AB AMPLISSIMO

**PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS**

OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

**ALBINUS HAEBLER**

GROSS-SCHOENAVIENSIS.



**LIPSIÆ**


JYPIS ANDRAEI


MDCCCLXXIII.

SPRECKELS

## PRAEMONENDA.

Cum abhinc amplius anno praeceptore quodam suasore et impulsore quaerem, quibus auctoribus Plutarchus in rebus Aristidis et Themistoclis enarrandis usus esset permagnam vitae utriusque partem ita prope ad Herodoti narrationem accedere intellexi, ut Plutarchus ipse ex Herodoti libris permulta sumpsisse videretur. Atqui libellus exstat, qui inscribitur *Περὶ τῆς Ἡροδότου κακοθείας*; cuius auctorem Plutarchum fuisse alteri dicunt, alteri negant. Itaque nunc, priusquam ad vitas ipsas transgrediar, hanc quaestionem, quae est de huius libelli auctore, capite priore pro meis quantulaecunque sunt viribus ad finem quendam perducere studebo. Capite autem altero ea inprimis in quaestionem vocabo, quae Plutarchus in vitis de bellis Persicis tradidit; nam de reliquis earum partibus ad certum iudicium pervenire vix possumus.





## CAPUT I.

Iam antiquis temporibus Herodotus quamvis magna animi integritate imbutus haud paucos<sup>1)</sup> tamen laudis obtretractores nactus est, inter quos propter studium accusandi atque acerbiter conviciandi non ultimum locum tenet auctor libri, qui *Περὶ τῆς Ἡροδότου κακοθρείας* inscribitur. Qui si ineptiis et stultitia ceteros superare sibi proposuisset, haud dubie propositum assecutus esset; nam omnes ad unum viri docti<sup>2)</sup>, qui haud pauci criminum examinandorum operam susceperunt, omnia fere vana et irrita esse, frustra igitur libelli auctorem Herodoti criminationibus ingenii sui acumen (si dis placet) praestare studuisse ostenderunt. Quade causa non mirandum est, quod iam dudum viri docti illum

1) Nomino Ctesiam (Photius bibl. cod. LXII), Harpocratonem, Aelium sophistam (Etymol. M. s. v. *Ἀποροκόμος*, itemque Eustath. ad Hom. Il. 2' 480), Manethonem (Iosephus contra Apion. I, 3, 14), Polionem (Euseb. in praep. evangel. X, 467 D).

2) Joachim. Camerarius (Prooem. in historias Herodoti in Iungermanni ed. Herod. p. 4—7), H. Stephanus (Apologia pro Herodoto, quae adiuncta est latinae Herod. versionis), Geinozius (Defense d'Herodote contre les accusations de Plutarque, quae est in Mem. de l'acad. d. inscr. XXX, 115—145; XXXVI, 120—144; XXXVIII, 101—114; eadem in vernaculum sermonem translata exstant in Gattereri hist. univ. bibl. X, p. 29, seqq.), Larcher (cf. notas ad Histoire d'Hér. traduite du Grec. t. I—VII), Ricardus (Oeuvres morales de Plut. trad. en franç. t. XI, 325—377 atque not. pagg. 378—485), Kaltwasser (Plutarchs moralische Abhandlungen, cf. notas v. VI, p. 678—772), Roversius (Commentatio de Herodoti in rebus gentium tradendis dotibus atque virtutibus praecipuis pag. 89 seq.), Marlius (De fide Herodoti a Plutarcho reiecta. Lugd. 1826), Lahmeyer (De libelli Plutarchei, qui De malignitate Herodoti inscribitur et auctoritate et auctore, Gotting. 1848.)



libellum a Plutareho cum humanitate tum doctrina imbuto, cuius inter genuinos libros in codicibus exstat, conscriptum esse negarunt. Quorum primus Creuzer<sup>3)</sup> fuisse videtur, vir doctus atque de graecis scriptoribus optime meritus, cui astipulati sunt Baehrius<sup>4)</sup>, Westermannus<sup>5)</sup>, Roscher<sup>6)</sup>.

Anno autem MDCCCXLVI ordo philosophorum universitatis Gottingensis praemio proposito commilitones adhortatus est, ut illius libelli auctoritatem, argumentum, consilium in examen vocarent; qua occasione oblata Lahmeyer commentationem suam conscripsit (cf. n. 2). Atque vero is omnia, quae ad illas quaestiones pertinent „tanta cum diligentia et doctrina tractavit, ut Plutarchi nomen extra dubitationem posuisse“ ordini philosophorum videretur; neque tamen Baehrius ab animo suo impetrare potuit, ut Lahmeyeri sententiam amplecteretur, immo illum libellum a Plutarchi indole et ingenio prorsus abhorrere etiam tum<sup>7)</sup> dixit neque id unus. Sane vero fuerunt quoque, qui a Lahmeyeri partibus stare mallent<sup>8)</sup>; tertia autem classis eorum est, qui ad certum quidem iudicium nondum pervenisse videantur<sup>9)</sup>.

3) Herodot und Thucydides, Versuch einer nähern Würdigung einiger ihrer histor. Grundsätze, mit Rücksicht auf Lucians Schrift, wie man Geschichte schreiben müsse, Leipzig, 1798; Vorerinnerungen p. IV, cf. p. 102 n.

4) Ad Herod. 5, 63, 1; 66, 4 etc.; Real-Encyclop. III, p. 1251.

5) Vossius De histor. gr. ed. a Westerm. p. 39, n. 7.

6) Klio I, 1842, p. 93, 1.

7) In recensione Lahmeyeri libelli, quae est in Iahnii Annal. philolog. vol. 54 (1848) pagg. 115—126.

8) E. c. Dinsius (De libello Plutarchi *Ἰνναίων ἀρεταὶ* inscripto Berol. 1863), Ernestus Curtius (Hist. gr. ed. 2. vol. II. pag. 743, n. 30 „Plutarch, der als Boeotier mit ihm — Herodot — unzufrieden ist, verdächtigt ihn ohne Erfolg“), Dunkerus (Gesch. des Alterthums IV, 665, n. 1) Bergius (Aristeides. Erster Theil. Das Leben des Aristides bis zum Abschlusse seines Conflictes mit Themistocles. 1871. pag. 36).

9) Nomino Doehnerum (Quaestionum Plutarchearum particula tertia, 1862, p. 52) et Volkmannum (Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea, 1869, p. 341 seq.).

Quae cum ita sint, suo iure Volkmannus (l. l. pag. 341) haec dixisse videtur: „Wenn ein so gründlicher Kenner Plutarchs, wie G. Doehner, noch immer diese Schrift als ihm in hohem Grade verdächtig bezeichnet, so muss wohl die Frage nach deren Echtheit als eine zur Zeit noch offene trachtet werden“. — De sententiis virorum doctorum hactenus.

Itaque hanc quaestionem retractare operae pretium fore existimo, praesertim cum hoc modo simul via ad eam quaestionem muniatur, quos praecipue auctores Plutarchus in rebus gestis et Themistoclis et Aristidis narrandis secutus sit; nunc igitur ad libellum ipsum transeamus.

Priusquam auctor ad singulas Herodoti voces et narrationes reprehendendas accedit, nos docet, quas potissimum in malignitate cognoscenda comprobandaque sibi leges statuerit; sunt haec:

I. ὁ τοῦς δυσχερεστάτοις ὀνόμασι καὶ ῥήμασι, ἐπιεικιστέρων παρόντων, ἐν τῷ λέγειν τὰ πεπραγμένα χρώμενος — οὐκ εὐμενὴς ἐστίν<sup>10</sup>).

II. δεύτερον, ὅτῳ κακὸν πρόσσετιν ἄλλως, τῇ δ' ἱστορίᾳ μὴ προσῆκον, ὁ δὲ συγγραφεὺς ἐπιδράττεται τούτου, καὶ παρεμβάλλει τοῖς πράγμασιν οὐδὲν δεόμενος, ἀλλὰ τὴν διήγησιν ἐπεξάγων καὶ κυκλούμενος, ὅπως ἐμπεριλάβῃ ἀτύχημά τινος, ἢ πρᾶξιν ἄτοπον καὶ οὐ χρηστὸν, διτλὸς ἐστίν ἠδόμενος τῷ κακολογεῖν<sup>11</sup>).

III. καὶ μὴν τό γ' ἀντίστροφον τούτῳ παντὶ δῆλον, ὡς καλοῦ τινος καὶ ἀγαθοῦ παράλειψις ἐστίν, ἀνυπεύθυνον δοκοῦν πρᾶγμα εἶναι, γινόμενον δὲ κακοήθως, ἀνπερ

10) Hac ex lege ortae sunt accusationes, quae exstant capp. 15 (1), 24 (1), 27 (2), 31 (2 seq.) 34 (4 seq.); cf. Lahmeyer. p. 29, n. 13.

11) Ad hanc quidem legem Lahmeyero auctor respexisse videtur capp. 15 (5), 19, 22, 32 (7), 40, 34 (9), 42 (1); mihi autem postremo loco Herodotum mendacii convincere voluisse videtur (cf. verba καίτοι γελοῖον, εἰ μὴ συνήθειαι εἶεν οἱ πολέμοι, μάχεσθαι μὴ θέλειν).

ἐμπίπτη τὸ παραλειφθὲν εἰς τόπον προσήκοντα τῇ ιστορίᾳ<sup>12)</sup>.

IV. τέταρτον τοῖνον τίθεμαι σημεῖον οὐκ εὐμενοῦς ἐν ιστορίᾳ τρόπον, τὸ δυοῖν ἢ πλειόνων περὶ ταυτοῦ λόγων ὄντων, τῷ χεῖρονι προστίθεσθαι<sup>13)</sup>.

V. ἔτι τοῖνον ἐπὶ τῶν ὁμολογουμένων πεπραχθῆναι, τὴν δ' αἰτίαν, ἀφ' ἧς πέπρακται καὶ τὴν διάνοιαν ἐχόντων ἄδηλον, ὁ πρὸς τὸ χεῖρον εἰκάζων δυσμενῆς ἐστὶ καὶ κακοήθης<sup>14)</sup>.

VI. δέχεται δὲ καὶ παρὰ τὸν τρόπον τοῦ ἔργου διήγησις ιστορικῆ κακοήθειαν, ἂν χρήμασι φάσκη, μὴ δι' ἀρετῆς, κατειργάσθαι τὴν πράξιν<sup>15)</sup>.

VII. ἐστὶ τοῖνον τοῖς ἀπ' εὐθείας οὐς βούλονται κακῶς λέγουσι δυσκολίαν ἐπικαλεῖν καὶ θρασύτητα καὶ μανίαν, ἐὰν μὴ μετριάζωσιν· οἱ δὲ πλαγίως οἷον ἐξ ἀφανοῦς βέλεσι χρώμενοι ταῖς διαβολαῖς, εἶτα περιόντες ὀπίσω καὶ ἀναδυόμενοι τῷ φάσκειν ἀπιστεῖν ἅ πάνν πιστεύεσθαι θέλουσιν, ἀρνούμενοι κακοήθειαν, ἀνελευθερίαν τῇ κακοηθείᾳ προσοφλισκάνουσιν<sup>16)</sup>.

VIII. ἐγγὺς δὲ τούτων εἰσὶν οἱ τοῖς ψόγοις ἐπαινοῦς τινὰς παρατιθέντες — οὕτω τὸ κακοήθης εἰς πίστιν ὧν ψέγει προαποτίθεται τὸν ἔπαινον<sup>17)</sup>.

Quae omnia in examen vocans nemo nisi is, qui praeiudicata opinione obcaecetur, cum Baehrio<sup>18)</sup> Lahmeyeri sententiam amplecti dubitabit, quippe qui omnes illas leges aut prorsus falsas atque iniustas aut valde restringendas esse sine ulla cunctatione dicat<sup>19)</sup>; quamobrem nequaquam mirandum est, quod illarum regularum tenax omniaque ad eas exigens libelli auctor a recta quidem via semper fere aberravit; tantum autem abest, ut historiae patrem mali-

12. Cf. capp. 15 (4), 24 (2), 26 (4), 36 (6), 39 (13).

13) Cf. capp. 20 et 24 (2 seq.)

14) Cf. 16, 18, 21, 22, 25, 29, 31, 33, 34, 35 capp.

15) Cf. cap. 34 (1 et 2). — 16) Cf. capp. 27 et 28.

17) Cf. capp. 23, 29, 18, 26.

18) *Annal. philol.* vol. 54, pag. 121. — 19) *L. l.* pag. 33.

gnitatis convincere possit, ut ipse eius incusandus videatur<sup>20</sup>).

Tum nonnullis locis libelli auctor non tam malignitatis quam mendacii Herodotum accusat, sed hic quoque argumentatio eius a probabilitate longissime abest<sup>21</sup>). Quo factum est, ut Lahmeyer ipse Herodoti causam deserere dubitaret atque tribus tantum quatuorve locis<sup>22</sup>) obtrectatori eius assentiri auderet; utut vero de his iudicabitur, reliqua nihil fere auctoritatis habere, immo ineptiis nugisque scaterere vir doctus vix negabit. Itaque ad singulas criminationes denuo refutandas et diluendas descendere nolo.

Postquam igitur cognovimus quantum libelli auctor criminationibus Herodoti laudi nocuerit, quaerendum est, qui tamen factum sit ut viri docti illum libellum a Plutarcho conscriptum esse arbitrarentur; qua de causa nunc ad quartum Lahmeyeri commentationis caput transeamus.

Primo loco<sup>23</sup>) in patriam aetatemque scriptoris inquirens Lahmeyer libelli auctorem cum ex Boeotorum gente fuisse tum post Caesarem et Catonem vixisse ex capp. 1 (14 fin.) et 6 (fin.) luculenter apparere dicit<sup>24</sup>); quia autem

20) Geinozius quidem haec scripsit (Gattereri bibl. hist. univers. vol. X, pag. 45): „Hier verletzt Plutarch — selbst alle Gesetze der Kritik, die er gegeben hat und macht sich des Lasters schuldig, des er den Herodot zeigt“.

21) E. c. in ceterorum silentio tamquam fundamento nititur capp. 14 (3), 20, 24 (4); cap. 11 (1 et 2) argumenta omnino non profert libelli auctor.

22) Cf. pagg. 40 (cap. 13), 43 (cap. 14), 44 (cap. 15), 71 (cap. 35).

23) Pagg. 82—84. Suo iure L. haud multum ei rei tribuit, quod in Lampriae scriptorum Plutarcheorum catalogo Herodoti quoque reprehensio commemoratur, quoniam eum non a Plutarchi filio, sed posteriore demum aetate conscriptum esse A. Schaefer demonstravit (Comm. de libro vitt. decem oratt. 1844 p. 27), genuina autem et spuria illic temere confusa esse inter omnes constat.

24) De eadem re Baehrius l. l. pag. 124 hisce verbis usus est: „Eben so wenig wollen wir in Abrede stellen, dass der Verfasser der Schrift aus Boeotien war oder vielmehr als einen solchen sich darstellt,